Oprawiono w r. 1939.

In Nomine Domini Amen.

IN STATVTA Contubernii Iurisperitorum.

Præfatio.

Humanæ Societatis et Vitæ communis mutua inter Mortales coniunctio, nec coalescere, nec conseruari posset, nisi certas leges et observationes, modumq; viuendi præscriptum haberet. Dissolui quippe omnia, sensimq; deficere, ac tandem in extremam præcipitari ruinam necessum esset; nisi rerum ordo, et Vitæ communis ratio Sancitis ad Normam honestatis et Justitiæ legibus, quibus humanum genus regitur. arg. c. humanum. Dist. 1. tanquam aureâ Herculis catenâ teneretur; nisi quòd ad Virtutis disciplinam sapienter institutum est, sanctè et inviolatè obseruaret. Ut enim Sanitas hominis, tam diu integra est, quàm diu in eo, rectè disposita humorum temperies Viget; ita certè commune uiuendi institutum, tam diu benè ordinato statu feliciter regitur, quàm diu in optima animorum temperie cuncta ex præscripto Virtutis geruntur, Vigoremq; suum, et integritatem leges retinent, è Quibus quod Religioni convenire, disciplinæ congruere, communiq; omnium Saluti proficere naturâ receptum, moribusq; probatum est, legere licet arg. c. in istis Dist. 4. Id verò cùm in omni Vita, tum præcipuè in eo mutuæ conversationis Vinculo, in quo Nobilis Studiosa Juventus ad Virtutem et Eruditionem, bono publico excolitur, Summè necessarium est, cum Juvenum animi generosa Quamuis et Egregia indole præditi, sed feruore ætatis plerumq; abrepti, et necdum firmato in Virtute profectu, ad deteriora proniores, nisi legum obseruatione sedulâ, et uigilanti disciplinâ coërceantur; facilè corrumpi, dissolui, et recalcitrare, ac tandem à uia Virtutis discere soleant, pœnamq; mereantur. arg. l. impunitas 7. C. de pœnis. Cui malo Virorum sapientissimorum prudentia ut occurreret, in omnibus Contubernijs, quæ intra Gremium Universitatis nostræ habentur, certas leges, Statuta, et Consuetudines instituit, Sanctèq; et inviolabiliter obseruari præcepit. Ut Juvenes disceret à teneris optimis institutis parere, Vita in timore Domini, puritate conscientiæ, et morum probitate ducere, pacem et modestiam amare, atq; sic à Deo illuminari, uerâq; donum sapientiæ consequi; Ut aliquando siue in ecclesiastico, siue in Politico Statu Vitæ integritate et præstantiâ doctrinæ bono publico prosint. Ea sane mens fuerat Magni illius Viri, et inter Polonæ Historiæ Scriptores facilè Principis Ioannis Dlugossii Canonici Cracouien. qui pro illorum temporum conditione Contubernium hoc cum erexisset, certis illud legibus et statutis benè ordinatum esse voluit. Quam quidem piam eius et beneficam Fundationem edax temporum vetustas postquam sensim imminuisset; successère deinceps instinctu plane Diuino Cotubernii huius Amplissimi et immortali memoriâ Dignissimi Benefactores et Restauratores, Stanislaus Garwaski et Gregorius Borastus Canonici Cracouienses. quorum munifica liberalitate et Gratia Contubernii istius Victu et Ordine Juuenum in eo disciplina florere.

cæpit, et in dies magis augeri, Quæ ut deinceps quoq; certo ordine et regimine magis ma-
gisq; uigeat et perennet, Uisum est, Saluberrimo Maiorum consilio leges eius et statuta,
ex Antiquis ordine collecta, aucta, et correcta (Quæ enim de nouo emergunt, nouo
semper indigent auxilio c. insinuante de off. de leg. in 6.) necnon Authoritate Supe-
riorum et totius Uniuersitatis approbata omnibus uelut in speculo proponere, et ab omni-
bus in debita obseruantia haberi decernere, ut ita Dei Benedictione, Perauqusti Ca-
pituli Cracouiensis eximia protectione, Maiorum Authoritate et prudentia Nobilis
Iuuentus prona obedientia, felici in Uirtute et Studiis profectu, Contubernium hoc
quàm maximè floreat, et in Uigore legum conseruetur. Iam igitur legum seu Sta-
tutorum Contubernii huius Series, iuxta Quam benè ordinatum eius regimen, et Ui-
tæ communis ratio institui debet, eiusmodi sequitur.

Statutum I.

De necessariis circa ingressum Contubernii obseruandis.

§. I.

Suscipiantur ad Contubernium Iurisperitorum Alumni in literis fundati ad Iuridicum studium habiles, in quibus non ætas, sed Uirtus et profectus spectandus.

§. II.

Nullus ad Contubernium admittatur, ni in Metricam Universitatis Cracouiensis fuerit inscriptus et Domino Seniori Contubernii duos aureos solverit; alioquin etiam post ingressum tam diu à mensa suspendi poterit Alumnus, donec eosdem reposuerit, quos Dominus Senior restituere non tenebitur, etiamsi postbac propter notabilem excessum, uel aliâ iustâ de causa Alumnus fuerit exclusus, vel benevolè migraverit è Contubernio.

§. III.

Post ingressum Contubernii, quilibet Contubernii huius Alumnus stipulata manu sese obstringat, iuxta hanc formam: Ego N. promitto Domino Seniori huius Contubernii obedientiam in omnibus licitis et honestis, et Quod Statuta Contubernii huius servabo, secreta Domûs nemini revelabo.

§ IV.

Ad Contubernium susceptus et Admissus Alumnus (qui se gesserit, uti debet, ac decet) per triennium duntaxat in Contubernio locum habebit, nec eidem suffragabitur absentia, quotiescunque intra præfatum tempus aliquo discesserit, et sese absentauerit.

§. V.

Nemini autem Studiosorum in Contubernio existentium liceat sine convensu et Speciali Domini Prouisoris uel Senioris licentia domum, uel aliò discedere, et sese absentare sub pœna priuationis et arbitraria.

Statutum II.

De timore Dei et officiis Pietatis.

§. I.

Quoniam timenti Dominum non occurrent mala; ea propter unicuique Alumnorum timor Dei in oculis uersetur, ut tanto efficacius incumbant mediis ad Uitam æternam consequendam necessariis. Aderit piis conatibus Mater Misericordiæ Deipara Virgo, si eius cultum devotè promouerint: præsertim in Officiis pietatis ritè persolvendis. Singulis enim diebus (Exceptâ feriâ Sextâ cuiuslibet Mensis, et Die Sabbathi cuiusuis Septimanæ) Officium parvum B. V. M. sine Horis et Uesperis mane in hijpocausto communi clara voce recitabunt. Uesperi autem, siue horâ à

Domino Seniore destinata decantabunt in Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ singulis diebus (præter diem Veneris) Litanias Lauretanas B.V.M. cum Antiphona de tempore, Psalmo Deprofundis, et aliis consuetis. Si autem Superioribus Visum fuerit etiam exceptis diebus præfata pietatis officia absoluentur. Qui verò dictis Officiis adesse neglexerit, uel tardè uenerit, uidelicet ad Officium post Nocturnum, aliàs primos tres psalmos; ad Litanias post uerba Speculum iustitiæ: talis quo ad primum neglectum priuetur prandio; quo ad secundum, careat cœnâ. Tempore autem Quadragesimæ et Ieiunii ab officio uel Litaniis absentes, aut tardè uenientes, soluant tres grossos.

§ II.

Quolibet mense ac diebus festiuis solennioribus, præcipuè in festis B.M.V. Singuli Alumnorum sacra confessione conscientias suas expiabunt et S.S. Eucharistiæ Sacramentum devotè sument sub onere conscientiæ.

§ III.

Feriâ Sextâ primâ cuiuslibet Mensis Officium Defunctorum pro Animabus Fundatorum huius Contubernii absoluent; Qui uerò recitationi illius non adfuerit, uel post primũ Nocturnum uenerit, tribus grossis puniatur.

§ IV.

Singulis diebus Dominicis et Festis ad Ecclesiam Cathedralem convenient, ibiq́ʒ concioni aderunt sub pœna priuationis integri prandii.

§ V.

Quicunqʒ tempore Officii, Litaniarum uel Concionis garrulus extiterit aut insolens, illaqʒ non recitauerit, uel cantauerit, aut non expectato fine abierit, talis in Victu puniatur, aut pœnæ subsit arbitrariæ Domini Senioris.

Statutum III.

De obseruantia erga Superiores.

§ I.

Mandato Magnifici Domini Rectoris Almæ Vniversitatis Cracouiensis Singuli pareant, et Quotiescunqʒ ad Ecclesiam S. Annæ, siue aliò vocati fuerint, compareant, Diuinisqʒ tempore Exequiarum, aliisqʒ actibus per mandatum M.D. Rectoris intimatis, usqʒ ad finem intersint, sub pœna trium grossorum. Si uerò sæpiùs in hoc aliquis deliquerit, pœna quoqʒ per Dominum Seniorem augeatur.

§ II.

Dominum Prouisorem et Seniorem quilibet Alumnorum debito honore prosequatur, iisdemqʒ obtemperet in omnibus licitis et honestis, potissimum in iis, quæ modestiam, Mores, Studia, Munditiem, et alia morigeros homines decentia, concernunt.

§ III

Si quis ad Dominum Seniorem Vocatus Venire recusauerit, aut pendente Iudicio,

siue tempore Convocationis, uel aliàs impositum sibi silentium non seruauerit, talis primò moneatur, secundò Uictu per Septimanam, primetur, tertiò excludatur.

§. IV.

Quicunq Dominum Seniorem Uerbo scandaloso, derisorio, contumelioso, uel alioquovis modo offenderit, uel contra Eundem simultates, Sectas, conventicula, aut Machinationes fecerit, aut Uerba comminatoria effutiuerit, uel arma sumpserit, talis illico excludatur.

§. V.

Nullus Congregationes aliquas, clamores, strepitum, circa hostium uel habitationem Domini Senioris facere præsumat, nec per gradus ascendendo, uel descendendo, aut aliomodo pulsare aut strepere audeat insolenter; alioquin talia committens, primò per Dnúm Seniorem moneatur, et si monitus desistere noluerit, puniatur Uictu unius diei; si uerò ampliùs præfatam insolentiam exercuerit, puniatur in duplo, et si sæpiùs adhuc in his malitia exorbitauerit, tanquam incorrigibilis è domo excludatur.

Statutum IV.
De Officialibus Communitatis.

§ I.

Præpositus Domûs ex Dispensatore à Dnò Seniore constituatur, cuius Officium erit Officium B. M. V. recitandum inchoare, Collectas dicere, Litanias decantandas inchoare (nisi ad hoc D. Senior alium assignauerit) aliorum insolentias et Excessus tempore prandii et cœnæ, ac alias intra Domum contingentes, fideliter notare, et D. Seniori tempestiuè deferre, ordinem, et silentium ad Mensam curare, et tam Benedictionem, qm Gratiarum actionem consuetam cum aliis respondentibus dicere in hæc Uerba: Retribuere Domine animabus Famulorum tuorum, Fundatorum nostrorum, et omnibus Nobis bona facientibus Uitam æternam. Amen.

§. II.

Consiliarii eligantur tres eadem hebdomadâ, quâ fieri solet Electio Magnifici Dnî Rectoris Universitatis Cracouien. Quos Dominus Senior pro libitu inter quinq præsentabit communitati eligendos, Et si paria uel Difformia Uota seu discordiæ circa huiusmodi Electionem interuenerint, liberum erit D. Seniori constituere eosdem. Horum officium erit, causas perplexas, et intricatas unà cum Dnò Seniore discutere rationibus Expensarum adesse, Dispensatorem in emendis et comparandis Uictualibus. (Quem ad hoc D. Senior Consiliarium destinauerit) adiuuare, in extradendis ad Mensam portionibus ordinem procurare, munditiei Domûs attendere, et exorbitantias Alumnorum Domino Seniori denuntiare &c.

§. III.

Dispensator qualibet septimana (si sic Uisum fuerit D. Seniori.) eligatur à communitate, cui tres Candidatos ad hoc officium Dominus Senior præsentabit, ut ex illis vnus constituatur. Huius officium erit expensas pro Uictu Communitatis facere ex iisdemq fideliter connotatis circa finem sui officii reddere rationem coram Domino Seniore et Consiliariis. Insuper ne supellex domestica corrumpatur, aut

pereat, animadvertere, ligna superflua comburi non permittere, ut in culina munditia et ordo seruetur, attendere, negligentiam coci, siue coctricis, ac Tertiani Domino Seniori deferre. Studiosos, aliasq personas extraneas ab ingressu culinæ arcere, et qui contubernales ibidem commorati fuerint, Domino Seniori denuntiare puniendos. Tempore Officii Sui, Eiusq Administrationis liber erit ab Officio et Litaniis.

§. IV.

Lectorem Quauis hebdomada Dominus Senior constituet, qui singulis diebus dabit signum pulsu Campanæ Quando surgendum, Quando Officia pietatis absoluenda, Quando prandendum et cœnandum, Quando eundum dormitum, et Quoties pulsu opus fuerit. Insuper tempore prandii et Cœnæ, ex libro à Domino Seniore ad legendum sibi dato, faci: et clarâ voce, distinctè, cum debito accentu, ut cum fructu audientium legat. Quoties verò unum ex præmissis neglexerit, toties prandio, uel cœnâ priuetur, aut pœnâ pecuniariâ, nempe tribus grossis puniatur. Absentes quoq ab Officio, Litaniis, et Concione fideliter notabit, et connotatos tempore Conuocationis perleget. Candelas tempore Litaniarum et Officii accendet, et ne destruantur, attendet: alioquin si destructæ, uel penitus ablatæ fuerint, alias de proprio comparabit. Absoluto lectoratûs officio, alterâ Septimana portitor erit.

§. V.

Portitores duo à Domino Seniore constituentur, Vnus Ex lector, alter iuxta ordinem Alumnorum. Vtriusq officium erit fercula ad mensam debito modo deferre aliis prandentibus et cœnantibus inseruire. Quoties tempore prandii et cœnæ officio suo non satisfecerint, toties prandio, uel cœnâ carebunt, aut pœnâ arbitrariâ punientur, qm Dominus. Senior extendere poterit etiam contra alios negligentes Domûs Officiales.

Statutum V.

De ordinatione temporis et ordine studiorum.

§ I.

Mane horâ Quartâ, signo Campanæ per Lectorem dato, Singuli Alumni surgant mediâ Quintâ, audito altero pulsu campanæ ad hypocaustum commune conueniant, ibiq clara uoce recitent officii parui B. M. Virginis Matutinum cum Laudibus, et aliis C. præter Horas, Vesperas, et Completorium, recitationi præibit Præpositus protunc mensæ. Absoluto officio, aliisq voluntariis pietatis officiis, quisq in sua habitatione studiis incumbat, lectiones auditas priuatim perlegendo, eas, uel pensa memoriæ mandando. ac tandem oportuno tempore, Unusquisq suas lectiones audiat pro captu, aut priuatas Scholas frequentet. Sacrificium missæ quotidiè audiat, et prandium subsequatur, quo finito, debito ordine et sedulitate impensa, lectiones suas et Studia tractent, de iisdem ac suo profectu quotiescunq à Dño Seniore aliquis requisitus uel interrogatus fuerit, quiuis respondeat, et rationem diligentiæ suæ perscribeat: Siue id fiat tempore Conuocationis, siue tempore visitationis, aut pro opportunitate Domini Senioris. Cœna et Litaniæ fiant ut supra præscriptum in Statuto II. §. eius I. et inferius in Statuto 6 §1. Uesperi uel noctu horâ octauâ in medio Horologio Lector det Signum campanæ, ut quilibet in sua Camera commoretur, ibiq sedeat, et conquiescat. Quicunq uerò post præfatum pulsum campanæ in aliena habitatione

repertus fuerit; talis primò per Dominum Seniorem moneatur, secundò careat uictu totius diei, tertiò trium dierum, quartò totius hebdomadæ, quintò excludatur.

§. II.

Vt re non Nomine tantum dicatur Contubernium Iurisperitorum singuli lectionem saltim unam in Iure audiant. Erit autem obligatus Dominus Senior Scripta Studiosorum in contubernio existentium reuidere, eos examinare, et si quis illorum minus diligens repertus fuerit, commonere, uel punire negligentem; Semel à Lectione Absens, uel à Schola careat prandio uel cænâ, quoties aliquis Alumnorum eiusmodi negligentiam commiserit. Si autem notabili tempore lectionem quispiam non audierit, uel potius nullam, aut Scholam non frequentauerit mensâ, donec resipuerit, priuetur.

§. III.

Diebus Dominicis et Sabbatiuis, ii, qui publicas audiunt lectiones singulis actibus Disputationis in Collegio maiori peragi solitis intersint, sub pænis arbitrariis.

§. IV.

In communi hypocausto Contubernii singulis septimanis decisiones Quæstionum à Seniore ordinatarum fiant, exceptis iis temporibus, quibus studia publica silent in Vniuersitate Cracouien. Quodsi quis assignatam sibi ad decidendum Quæstionem determinato per Dominum Seniorem tempore non deciderit, uel ad eam oppugnandam destinatus oppugnare renuerit, talis punietur uictu per integram Septimanam.

§. V.

Testimonia suæ diligentiæ et frequentationis à suis D.D. Professoribus obtenta coram Domino Seniore qualibet Septimana exhibeant Alumni, Quodsi aliqs eorum testimonium non attulerit, et exhibuerit, primò careat portionibus per unam diem, secundò per triduum, tertiò per Septimanam; quartò maneat negligentem pæna Exclusionis. Linguâ latinâ Alumni ad inuicem loquantur. In transgressorem pæna arbitraria per Dominum Seniorem extendatur.

Statutum VI.

De conuictu.

§. I.

Prandium diebus festis et Dominicis sit post Missam cantatam in Ecclesia Cathedrali Cracouien. celebratam. diebus autem feriatis horâ undecima, si commodè fieri poterit. Cæna tempore hyemali sit horâ Quintâ, aliis temporibus horâ Sextâ uel septima, aut iuxta ordinationem Dni Senioris. Postquam audierint pulsum campanæ Singuli ad hypocaustum commune conuenient, ibiq; accumbent eo ordine, quo collocati sunt à D. Seniore, præmissa Benedictione mensæ, ac demum finito prandio, uel cæna gratiarum actione, quam inchoabit Præpositus aut si adfuerit Presbyr siue alius in ordinibus constitutus Alumnus. Nemo uero à mensa ante gratiarum actionem abire præsumat.

nisi rationabili causa superueniente. Qui tardè uenerint ad Mensam, ultimum locum occupabunt pro illa uice, qui uerò pro negligentia uel excessu caruerint Uictu, nequaquam accedant ad Mensam communem sub pœna arbitraria per Dominum Seniorem imponendam.

§. II.

Tempore prandii silentium seruent, et sine clamoribus, detractionibus, murmurationibus, iocis, et alia quauis insolentia lectioni Lectoris attendant. Si aliquis in his grauius excesserit, vel Silentium à Domino Seniore sibi impositum ad mensam non seruauerit, uictu pro qualibet uice priuetur, quodsi neq hanc curando pœnam amplius exorbitauerit, è Domo excludatur.

§. III.

Portiones absentium per Dispensatorem non seruentur, sed familiæ cedant, nisi in negotiis commutatis, aut cum scitu Domini Senioris quispiam absfuerit.

§. IV.

Nullus circa tabulam cultrum uel orbem alienum occupare, aut rixas, et dissensiones excitare, multò minus iniurias alteri inferre præsumat; etsi alicui inferretur aliquid adversi, patienter ferat, ac tandem Domino Seniori exponat, ut pro ratione excessûs pœnam contra delinquentem decernat. Etsi aliquis Alumnorum in quopiam ex præfatis reus inuentus fuerit, Uictu totius diei careat; si uerò grauitas illatæ iniuriæ maiorem pœnam exposcat, iuxta arbitrium D. Senioris puniatur. similiter et illi, qui prætermisso ordine alium loco priorem in accipiendis portionibus anteuenerint, uel easdem præripuerint, uel alias leuitates circa prandium, uel cœnam exercuerint, pœnis subiaceant arbitrariis.

§. V.

Ad secundam Mensam sedebunt Consiliarius, Dispensator, et portitores, et quicunque fuerint cum scitu et consensu Domini Senioris commensales. Tertianus seruiet illis tempore prandii et cœnæ. si uerò è Contubernalibus seu Alumnis Aliquis Cracouiâ discesserit, uel aliqui discesserint, tempore illorum absentiæ pecunia pro Uictu septimanatim dari solita in defectu expectantium, cedet Domino Seniori in usum proprium, similiter et pro iis, qui carentia, uel priuatione Uictûs pro aliquo excessu puniti fuerint.

Statutum VII.

De mutua Contubernalium concordia.

§. I.

Mutuam Uitæ consuetudinem omnes Alumni concorditer seruent, unus alterum in studiis et perplexitatibus literariis iuuet, conferentias ex lectionibus cohabitantes priuatim sine clamore faciant, nec se inuicem in studendo impediant, nullusq Alumnorum Personas extraneas ad Contubernium introducat sub pœnis arbitrariis.

§. II.

Simultates, Contentiones, tricas uel conspirationes seminare, uerba conuitiosa, calumniosa, imprecatoria, inhonesta, siue scandalosa proferre nullus audeat sub pœnis arbitrariis D. Seniori reseruatis.

§ III.

Arma ad lædendum apta, ut gladios, bombardas, sclopos, et alia quæuis armorum tam ferreorum, quàm ligneorum genera, in camera sua, uel aliena nemo seruet, nec habeat; sed illa ad D. Seniorem deferat. alioquin si in alicuius habitatione, siue in alio quocunque loco infra Contubernium reperta fuerint. D. Senior eadem tollet, suique iuris faciet.

§. IV.

Si quis alterum diffamauerit, aut arma qualiacunque contra aliquem strinxerit, uel portauerit, pro primo mensa totius septimanæ carebit, pro secundo unius mensis uictu communi priuabitur, pro tertio excludetur.

§. V.

Quicunque contra alium uel alios quemcunque famosum libellum scribere, publicare affigendo, uel proiiciendo ausus, et de eo conuictus fuerit, ille parti læsæ solennem deprecationem faciet, et pro pæna Uictu communi per vnum mensem carebit; si iterato id ipsum attentauerit, tanquam infamis de iure, è Contubernio proscribetur. Quod si aliquis alterum uel se mutuò maxillauerit, uel maxillauerint, percusserit, uel percusserint, depilauerit, uel depilauerint, siue alio modo violentas manus iniecerit, uel iniecerint, mutuam exercuerit, uel exercuerint pugnam, aut gladium vnus contra alium uel adinuicem euaginare ausus fuerit uel fuerint, uel ligneis bacillis duellum cum læsione non cruenta inierint, talis, uel tales in aliquo ex recensitis reus, uel rei, carentia Uictûs per vnum mensem puniatur. Ast si offensa seu læsio fuerit grauior. v.g. ad effusionem sanguinis, aut (: Quod absit.:) cum mutilatione, aut si Laicus contra Clericum, et è contra aut Clerici mutuò contra se insurrexerint, manusque violentas sibi iniecerint, tales exnunc ex Contubernio exclusi Magnifico Domino Rectori, uel Admodum Reuerendo Domino Prouisori deferantur, iuxta grauitatem delicti, grauiùs puniendi.

Statutum VIII.

De aliis variis delictis puniendis.

§. I.

Nullus tabernas uel loca, in quibus vinum, mulsum, cereuisia, crematum, aut alius liquor uenditur, uisitare præsumat. sub pæna arbitraria prima uice: si secundo ibidem uisus, uel repertus fuerit, careat uictu per Septimanam: Si tertiò in tali loco fuerit, excludatur.

§. II.

Domus lenonum, seu domus suspectas, aut alia loca, in quibus inhonestæ, uel suspectæ mulieres habitant, aut versantur, nemo ingrediatur. Quod si quis de hoc delatus fuerit, uel ipsemet de se coram aliquo idipsum propalauerit, talis exnunc excludatur.

§. III.

Inhonestas mulieres aut suspectas, imò etiam honestas puellas nemo Studiosorum in Contubernio existentium introducere audeat ad Contubernium, aut Cameram sub pœna exclusionis.

§. IV.

Ab Ebrietate et compotationibus tam intra, quàm extra Contubernium singuli Alumnorum abstineant; alioquin si quispiam inebriatus fuerit, primò priuetur Uictu per totam hebdomadam, secundò per duas, tertiò idipsum faciens excludatur. Si uerò etiam prima uice potus seu ebrius clamores, insolentias, aut Scandalũ aliquod facere præsumpserit, careat Uictu per Mensem, et si adhuc ampliùs aut grauiùs excesserit, excludatur è Contubernio, nec quisq̃m ebriosus, aut sæpiùs tumulentus in Contubernio toleretur.

§. V.

Si quis tumultus publici complex extiterit, aut se eidem immiscuerit, aut saltim inter tumultuantes uisus fuerit, è Contubernio excludatur. Similiter si quis extra Contubernium excessum fecerit scandalosum, uel alicui damnosum, præter compensationem damni, aut iniuriæ, careat uictu pro ratione delicti, uel si eius grauitas poscat, excludatur.

Statutum IX.

De honesto et utili domûs.

§. I.

Quilibet Alumnorum honestatem in moribus et in conuersatione seruet, nemo lusum cartifoliorum, alearum, uel alterius generis ludum exerceat; Alioquin reus primò moneatur, secundò careat uictu per septimanam, tertiò excludatur. Insuper nemini licitum sit in Contubernio tangere lyras, uel alia Musices instrumenta sub pœna arbitraria per Dominum Seniorem imponenda, et quæcunq; ludorum instrumenta in Contubernio reperta fuerint, à Domino Seniore recipiantur. Aues quoq; et canes nullus in Contubernio foueat sub pœnis arbitrariis.

§. II.

Supellex domûs integrè mundeq; seruetur. Si quis uerò fenestras, seu orbiculos, fores, mensam, uel fornacem, aliasq; res contubernii destruxerit, aut læserit, curabit illas

reparari, uel solutionem pro iis præstabit, aut in defectu æris Uictus eidem subtrahetur pro æstimatione damni comissi. Nec audeat quisquam lumen seu candelam accensam ad parietem affigere sub pæna arbitraria. Si uerò per talem candelæ appositionem exustio causaretur, ad restitutionem damni tenebitur. Quodsi periculum incendii alicuius causa oreretur, exnunc excludatur. Hinc etiam in Cameris ignis ex carbonibus uel lignis minimè foueatur sub pæna duodecem grossorum, exceptis iis, qui caminos ad fornacem habuerint propter calefactionem tempore hyemis faciendam, ignemq; cautè et modestè adhibeant. In æstate tamen nemo habeat in sua camera ignem, uel candelam accensam sub pæna trium grossorum.

§. III.

Mundities intra Contubernium et in Cameris seruetur, nec quisquam permittatur in Camera habere uasa immunda, fœtida, aliasq; sordes, et fœtores sub pæna sex grossorum. Si uerò aliquis Contubernalium extra habitationem suam in aliquo loco Contubernii, ut in atrio, in ambitu, uel alibi immunditiem commiserit, primò soluat tres grossos, secundò puniatur in duplo, tertiò careat Uictu per Septimanam; et si nimium fuerit sordidus, grauiori pæna à Domino Seniore mulctetur. Præterea si quis Contubernalium, è Camera sua, uel aliena, aquam, Urinam, uel alium liquorem, per fenestram, per canalem aut tectum effundere, aut sordes eiicere præsumpserit, pænam sex grossorum subeat, uel si immunditia excesserit, grauiori pæna delinquens puniatur. In loco deniq; secreto aditus, et sedes non commaculetur, aut sordibus præpediatur, nec illum cum lumine, aut candela accensa sine laterna quispiam audeat ingredi sub pæna trium grossorum, aut pænis arbitrariis.

§. IV.

Domus aperiatur et claudatur iuxta Dispositionem Domini Senioris, et nemo eandem sine scitu et consensu illius aperire uel claudere aut ipsam clausionem à Domino Seniore destinatam impedire audeat sub pæna exclusionis. Ante ostium, uel in limine Domûs nulli liceat stare sub pæna sex grossorum: Qui uerò in uestibulo Domus, uel ante eius ostium aliqua conuenticula, clamores, uel insolentiam facere præsumpserit, priuetur Uictu per septimanam: qui rixas, contentiones, uel pugnam ibidem fecerit, è Contubernio proscribatur. Nocturno tempore Nemini et Alumnorum Domus aperiatur, et si aliquis serò uenerit, non intromittatur. Si uerò clamorem, Strepitum, uel nimium pulsum ante Contubernium noctu fecerit, è Contubernio excludatur. Porro, qui fores ostii noctu concutere, uel aliquod Scandalum patrare præsumpserit talis è Contubernio exclusus pro grauioribus pænis ad M. D. Rectorem remittatur.

§ V.

Seruitores Domus licet deliquerint, nemo Alumnorum punire, multò minus uiolentas in illos iniicere manus præsumat, alioquin pœnis arbitrariis subiaceat; nullius quippè Studiosorum Iurisdictioni Seruitores erunt subiecti; sed Dominus Senior eosdem, omnemq; familiam Domus suscipiendi, puniendi, et remouendi plenariam habebit facultatem.

Statutum X.

De Inquisitione et Iudicio.

§ I.

Inquisitio in Cameris quauis Septimana bis aut ter per Dominum Seniorem fiat. Nemini uerò Alumnorum licitum sit sine scitu et consensu Domini Senioris extraneas personas noctu detinere, aut pernoctationis locum iisdem in Contubernio impertiri sub pœna priuationis Uictus per totam Septimanam, quam pœnam et illi incurrent, qui in Contubernio non pernoctauerint prima uice: Qui autem altera uice non pernoctauerit, in Contubernio sine consensu Domini Senioris, caveat uictu per duas hebdomadas; tertiò non pernoctans excludatur. Insuper tempore Uisitationis seu Inquisitionis, Domino Seniori pateat aditus ad quamlibet habitationem, ne ante fores stare oporteat sub pœna priuationis prandii. Quod si quis pertinaciter aperire, uel intromittere nollet Dominum Seniorem simpliciter excludatur.

§ II.

Iudicium quotiescunq; fuerit opus, fiat per Dominum Seniorem, causæ omnes summariè decidantur. Contumaces puniantur iuxta Statutum 3tium superius descriptum.

§ III.

Tempore Iudicii quo ad causas perplexas, uel intricatas, quoties à Domino Seniore vocati fuerint Consiliarii Domus adsint, uel aliquis eorum, qui se honestè et reuerenter habeant ad Dominum Seniorem, Vnus alterius uotum non interrumpat, nec impediat, sed per Dominum Seniorem requisiti, uota sua pronuntient iuxta exigentiam ueritatis et iustitiæ: cum modestia tamen et sine clamore silentiò ab aliis seruato. Quod si alicui à Dño Seniore impositum fuerit, et non siluerit monitus puniatur pœnis arbitrariis; Et si notabilis in hoc irreverentia, uel contemptus contra Dominum Seniorem obtigerit, delinquens exclusione delictum eluat. Nemo insuper Alumnorum Consiliarium, uel Consiliarios ad Iudicium vocatos verbis derisoriis, uel subsanatoriis infestare præsumat sub pœna sex grossorum; Et si uerba fuerint asperiora, mordacia, aut comminatoria, pœnam subeat iuxta Statutum septimum.

§ IV.

Executio pœnarum si non fieret, aut per inquilinos impediretur, liberum erit.

Domino Seniori adhibere etiam extraneas personas ad coërcendam Contubernalium insolentiam et puniendos eorum excessus. Omnes autem mandato aut Decreto Domini Senioris contrauenientes, aut illius executionem impedientes è Contubernio proscribantur.

§ V.

Conuocatio instar iudicii esse debet diebus Sabbatiuis (nisi eam propter incruentem festiuitatem uel aliam causam legitimam differre uel anticipare oporteat) horâ à Domino Seniore destinatâ, ut in illa Dispensator, Lector, Portitores, modo superius descripto constituantur, rationesq expensarum fiant, Et si quas in Domo deordinationes fieri contingat, per Dominum Seniorem reformentur. Dato igitur per pulsum Campanæ signo, singuli ad commune hypocaustum conuenient, ibiq silentium et modestiam seruabunt, ac tempore Electionis Dispensatoris uota sua ordine dabunt. Nemo uero in Conuocatione uocem, locumq habeat ex iis, qui pœnam sibi assignatam necdum adimpleuêre. Cæteri participantes omnes adsint sub pœna unius grossi. Omnes uerò pœnæ tam pecuniariæ, quàm pro negligentia per priuationem uictus communis impositæ, cedant in Usum proprium Domino Seniori, ut se tantò diligentiorem et operosiorem in administratione sui officii exhibeat; exceptis tamen iis carentiis, quæ pro Officio, Concione, et Litaniis neglectis statutæ communitatis erunt. Pariter pensiones pecuniariæ, et aromata à Iudæis aliquoties per annum dari solita spectabunt ad Solum Dominum Seniorem.

Præfata Contubernij Iurisperitorum Statuta cum omnibus suis paragraphis ex antiquis eiusdem Contubernii legibus ordine collecta, aucta, et reformata à Perillvribus Clarissimis et Admdm Rndis Dnis. S. Th. et V. I. Doctoribus, et Professoribus diligenter reuisa, perlecta, maturè discussa, et correcta, in publica Clarissimorum Dominorum Professorum, totiusq Universitatis Cracouiensis conuocatione Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo Quinto, Die decima Nona Septembris (dato de iis approbandis puncto speciali in tenore dictæ Conuocationis.) proposita sunt. Quæ quidem Statuta reuisa et correcta Perillres, Clarissimi, Admdm Rndi, et Excellentmi Dni Omnium Facultatum Doctores et Professores in eadem Conuocatione præsentes totaq Universitas Studii generalis Cracouiens in communi hypocausto Domûs Collegii Maioris ad sonum campanæ collegiater congregata, vnanimi omnium consensu in omnibus et singulis paragraphis, punctis, clausulis, et conditionibus uniuersis approbauerunt, confirmauerunt, ratificauerunt, et eadem Statuta sic approbata inter Conclusiones Universitatis inseri, et inscribi, iusserunt, utq ab omnibus et singulis tam Paruascianæ, quàm Borastouianæ Fundationis Alumnis, aliisq Studiosis in dicto Contubernio Iurisperitorum habitantibus, diligenter obseruentur, et adamussim teneantur demandarunt Authoritate Rectorali et Almæ Universitatis Studii Generalis Cracouiensis. In Quorum fidem suprascripta ~~Mandal~~ Statuta sigillo pensili Eiusdem Universitatis Cracouiensis communita, manu propria subscripsimus. Cracouiæ in Collegio Maiori. Anno. die. Mense. quibus Supra.